

XII OLIMPIADA JĘZYKA ŁACIŃSKIEGO 1993/1994 - I ETAP**De Pelopida**

Magnae saepe res non ita magnis copiis sunt gestae; sed profecto numquam tam ab tenui initio tantae opes sunt profligatae. Nam duodecim adulescentuli coierunt ex iis, qui exsilio erant multati, cum omnino non essent amplius centum, qui tanto se offerrent periculo. Qua paucitate percussa est Lacedaemoniorum potentia. Hi enim non magis adversariorum factioni quam Spartanis eo tempore bellum intulerunt, qui principes erant totius Graeciae; quorum imperii maiestas, neque ita multo post, Leuctrica pugna ab hoc initio perculsa concidit. Illi igitur duodecim, quorum dux erat Pelopidas, cum Athenis interdiu exissent, ut vesperascente caelo Thebas possent pervenire, cum canibus venaticis exierunt, retia ferentes, vestitu agresti, quo minore suspicione facerent iter. Qui cum tempore ipso, quo studuerant, pervenissent, domum Charonis deverterunt, a quo et tempus et dies erat datus.

Cornelius Nepos *De viris illustribus, Pelopidas II 3-5*

Objaśnienia:

Pelopidas, ae m - Tebańczyk, przywódca demokracji w Tebach w IV w. a.Ch.n. po zamachu oligarchicznym przebywał w Atenach, stamtąd wrócił do Teb na czele dwunastu młodzieńców w celu przywrócenia demokracji.

Cahon, is m - obywatel Teb, współczesny Pelopidasowi.